Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Quod fuit ab initio. quod audiuimus. quod uidimus oculis nris. quod perspexi mus. et manus nre contrectauerunt de uerbo uite. et uita manifestata est: et uidimus et testamur. et annuntiamus uobis uitam eternam. que erat apud patrem et apparuit nobis. Quod ergo uidimus et audiuimus annuntiamus uobis: ut et uos societatem habeatis nobiscum: et societas nra sit cum patre et filio eius ihu xpo. Et hec scribimus uobis ut gaudeatis: et gaudium uum plenum sit. Et hec est annuntiatio quam audiuimus a deo. et annuntiamus uobis: quoniam deus lux est. et tenebre in eo non sunt ulle. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo. et in tenebris ambulamus: mentimur: et ueritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus sicut et ipse est in luce: societatem habemus ad inuicem: et sanguis ihu xpi filii eius mundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: ipsi nos seducimus: et ueritas in nobis non est. Si confitemur peccata nra: fidelis et iustus est ut remittat nobis peccata nra: et emundet nos ab omni iniquitate. Si dicimus quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum: et uerbum eius non est in nobis. ·y.

filioli mei hec scribo uobis ut non peccetis. Sed et si quis peccauerit: aduocatum habemus apud patrem ihm xpm iustum: et ipse est propitiatio pro peccatis nris. Non pro nris autem tantum: sed etiam pro tocius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum: si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum: et mandata eius non custodit: mendax est. et in hoc ueritas non est. Qui autem seruat uerbum eius: uere in hoc caritas dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in illo manere: debet sicut ille ambulauit et ipse ambulare. Karissimi: non mandatum nouum scribo uobis: sed mandatum uetus quod habuistis ab initio. Mandatum uetus est uerbum quod audistis. Iterum mandatum nouum scribo uobis quod est uerum. et in ipso et in uobis: quia tenebre iam transierunt. et uerum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse. et fratrem suum odit: in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem suum. in lumine manet: et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum: in tenebris est. et in tenebris ambulat. et nescit quo eat: quoniam tenebre obcecauerunt oculos eius.

Scribo uobis filioli: quoniam ·m. remittuntur uobis peccata nra. propter nomen eius. Scribo uobis patres: quoniam cognouistis eum qui ab initio est. Scribo uobis adolescentes: quoniam uicistis malignum. Scribo uobis infantes: quoniam cognouistis patrem. Scribo uobis iuuenes: quia fortes estis. et uerbum dei in uobis manet: et uicistis malignum. Nolite diligere mundum. neque ea que in mundo sunt. Si quis diligit mundum: non est caritas patris in eo: quoniam omne quod est in mundo. concupiscentia carnis est. et concupiscentia oculorum. et superbia uite que non est ex patre. sed ex mundo. Et mundus transibit. et concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem